

17809



Gembicki Petrus
Episcopus Cracoviensis

Wojakowski Thomae Applausus gratula-
torius in felicissimo et auspiciousimo
ad episcopatum Cracoviensem ingressu Pe-
tri Gembicki.

PANEG. et VITAE

Polon. 4

N^o 244,

A

C

F

H

G

APPLAVSVS GRATVLATORIVS

F N

Felicissimo, & auspaticissimo, ad Episcopatum Cracouiensem ingressu.

Illustrissimi ac Reuerendissimi D. D.

PETRI GEMBICKI,
DEI ET APOSTOLICÆ
Sedis Gratia, Episcopi Cracouien.
Ducis Seueriæ.

A

Generoso THOMA de WOIAKOWA WO-
IAKOWSKI; cum submissâ grati animi
significatione. D. D. Cqj.

CRACOVIAE,

Typ: Mart: Phil: Anno, M. DC. XLIII.

In Stemma Antiquissime & vetustis-
sime Prosapie.



17809 I




*Fascia Præsuleis cur sis decorata tiaris &
Signum est virtutis Martis & artis honos.
Gloria ab arte venit virtus pietate paratur,
Fructus honos oneris, fructus honoris onus.*
Martinus Woiakowski Stud; Gram.



Vest
omne
uorib
stes
re T
maru
Tuan
mos
& vir
te, p
mos
Vtru
to c
Illust
tum
ille &

-310



Austam, ac Supremo Vniuersi
orbis Monarcha DEO DVCE ac Au-
spice, vniuersæ Christianæ Reipub:
fortunatam Episcopatus Cracoui-
ensis, Illustrissimæ Celsitudinis
Vestræ inaugurationem, cum Cælum ipsum, &
omnes hominum ordines, plenis prosequuntur fa-
uoribus: mea quoq; rudis & incompta, tuum Anti-
stes Illustriss. in conspectum, non erubuit prodi-
re Thalia. Et merito Sanè: tanta namq; amplissi-
marum, in hoc Florentissimo Aquilone, virtutum
Tuarum reperitur Maestas & amplitudo. Vt ani-
mos mortalium adamantinis Sibi vinculis iungat,
& virtute, tanquam germano gloriæ prognata fon-
te, pulchritudinis ac splendoris Sui fulgentissi-
mos radios, quaqua versum diffundat copiosè.
Vtrumq; hoc mihi efficaciori proponitur argumen-
to cum hac clarissima, tuorum meritorum
Illustrissime Domine Luce recreatus, & virtu-
tum pulchritudine ac splendore ad congratulandū
illectus, mihi metipsi, maximo gestientis animi

applausu, eam quam hodie, in hac celebri ac
festiua Hospitum gratulantium frequentia, sum
consecutus, congratulor faustitatem. Et qui-
dem votis omnium pridem ante Fortuna respon-
derat, cum in Te Illustrissime Domine tanquam
in vigilantissimo Aquilæ Polonæ Custode, patriæ,
Salutisq; communis immunitatem, securè voluit
consistere. Nunc vero maius beneficium, ipsa
rerum Domina Fortuna parauit, cum Illustrissi-
mam Celsitudinem vestram, in eum amplitudinis
& gloriæ nunquam interituræ, sed perpetuò
duraturæ, gradum, virtus semper alta petens eue-
xit, ex quo, fatalem aduersis, peruersarum re-
ligionum Sequacibus minatur ruinam, nobis
vero singularia clementiæ, benignitatisq; præbet
argumenta. Quæ cum ego omnia, perspicaci-
ori mentis perpendo radio, mea rudis & inculta
Camæna, per amplissimum virtutum Illustrissimæ
Celsitudinis vestræ, efferuescit spatium campum.
Referunt peruetusta annalium monumenta, glo-
ria bellica Heroas illos illustrissimos, vrbs Ro-
manæ Principes, inter cætera Imperatoriæ digni-
tatis insignia, ignem præferre solitos, quoties
in publicum progredierentur, tanquam aliquod
eximium gloriæ monumentum. Equidem ex
hoc præ-

hoc præstantissimo, variorum exemplorum tam
sacrorum quam profanorum archiuo, singulare
aliquod depromi posse arcanum arbitror. Ne-
mo enim est tam emotæ mentis, aut rigidis igno-
rantix obuolutus tenebris, qui non perpendat,
Sapientissimos illos homines, qui præferēdi ignis
Imperatoribus authores fuere, nihil aliud per hoc
verè Diuinū mysterium designare voluisse, quàm
illud, neminem Imperatoria amplitudine, atq;
Maiestate dignum iudicari, nisi prius, qui, illu-
strium actionum, virtutis, pietatis, magnorumq;
in Republ: meritorum, veluti emicantes ignis fa-
ces non præmisisset. Cæteris porro ad capessen-
das fellas curules, Imperatoria diademata, & glo-
riam atq; famam nominis immortalem penitus
præcludebatur aditus. Quod si vero profanis
his hominibus inani superstitione irretitis, qui
ciuilibus muneribus obeundis (in quibus vulgaria
negotia tractantur, & commoda priuatorum homi-
num procurantur) fuerant destinati, sine præ-
clarissimis Heroicorum factorum ac præstantis-
simarum virtutum ornamentis, non licuit amplis-
simorum honorum insigniri muneribus, quid de
illis existimare debemus, quorum fidei Diuina &
humana negotia, orthodoxæ Religionis, & charis-
simæ

simæ Patriæ salus est commissa: quam magnas, quam præclaras meritorum præferre faces debent ignorat nemo. Mihi tantum suffecerit Illustrissime Domine, Tuæ huic benè ominatæ dignitati, præeuntes non maiorum Tuorum modo, verum & Tui vnus singulares meritorum in Patriam, virtutumq; faces contemplari: illaq; illustria lumina, quæ Illustrissimam Celsitudinem vestram, charissimis suis naturâ & virtute Germanis, atq; nobis omnibus illustrem, Reipub: illustriorem, Christianæ Religioni illustrissimum effecerunt, debito cultu, & submissa gestientis animi significatione demirari ac venerari. Ac de his quidem mihi dicenti, illud luce hodiernâ accidisse video, quod contingere aliquando solet amænissimum, & variis refertum floribus horum, intransibus. Illi etenim copia venustissimorum florum, carptim ac sigillatim colligendorum, ita oculis & amæna cogitatione distrahuntur vt aut paucis aut nullis decerpendis indulgere videantur. Non absimili ratione, tum & ego, Illustrissimæ Celsitudinis vestræ, præstantissimas virtutes, mecum ipse meditor, quasi cateruatim connexas aut centuriatas, in me irruentes, singulasq; iure suo sibi dictionem meam conspicio extor-

quon-

nas, ebe-
llu-
e di-
odo,
Pa-
llu-
nem
Ger-
ub:
num
ntis
c de
ac-
olet
um,
rum
ita
aut
an-
llu-
vir-
on-
sq;
or-
en-
quentes. Quam illæ magnæ, quam lucidæ, ac
fulgentissimæ faces, quæ Te Illustrissime ac Re-
uerendissime Domine, hunc in amplissimum di-
gnitatis & honoris gradum Tibi hæreditario iure
destinatum, nominis celebritate comparatum,
omnium ardentissimis precibus, atq; concordibus
suffragiis exoptatum, in hoc tandem sublime de-
duxerunt Augustal. Quid mihi hîc antiqua. Ro-
ma, celebrandis supra modum suorum virtutibus
nimium quam effusa, Imperatorem Romanorum
Scipionem proponet? qui cum expugnatam Afri-
cam Romano subiecisset Imperio, gloriosum A-
fricani nomen, apud seram obtinuit posterita-
tem: vnde sæpius ingenti perfusus lætitiâ, id cre-
bris non dubitabat vsurpare sermonibus, se â pri-
mâ ineuntis ætatulæ teneritudine, esse enutritum,
atq; educatum, ad maxima in Repub: honorum fa-
stigia. Quid inquam in exoticis moramur actis?
cum in domesticis exemplis in gens sit copia me-
ritorum. Sunt scilicet tâquam viua simulachra, im-
mortales maiorum Tuorum Illustrissime Domine
imagines, quas possem quidem ego longâ serie,
quam plurimis in Repub: honoribus illustres re-
censere; si liceret in hoc festiuo gestientium ani-
morum plausu, præclarissimarum actionum Illu-
strif-

Arissimæ Celsitudinis vestræ perpulchra orna- fario
menta, æternæ memoriæ radiis collustrata, non tam men a
laconicè, quàm amplè ac copiosè venerari. omniu
Verumenimvero priusquam in Illustrissimæ contin
Gentis Tux splendorem, oculorum aciem quispi- tacitu
am conuerterit, oro obtestorq; vt si me sublimia & vni
humiliter, ampla tenuiter, illustria non satis or- mant
natè tractantem, & ex innumerabilibus quæ aduersæ
dicendum suppetunt, plurima prætermittentem Hæc i
atq; pauca proponentem cognouerit : diligentiori re &
mentis perpendat acumine, neq; posse quenquã paren
in tam vberè materia omnia persequi, neq; ea situdin
quæ satis per se splendida & magnifica sunt, splen- tribun
dido ac magnifico verborum apparatu exponere; simus
& mihi eam in primis cautelam adhibendam esse, lit pu
ne Illustrissimi Antistitis aures, quanquam verif- get ta
simis, & omnium sermone celebratissimis, longè gnatri
tamen supra exempla vulgaria positis laudibus of ditissi
fendâtur. Tanta enim tamq; memorabilia, quæ trix;
mihi ad dicendum latiore aperiunt campum, trix.
virtutum Illustrissimi Antistitis reperiuntur speci- tutum
mina, vt cum in singula meos defigo oculos, ni Antist
hil eorum, absq; graui vituperii ac ignominia no- leuite
ta prætermitti posse existimem : ita multa rursus firmit
vt cum vniuersa contemplor, plurima mihi neces Quem
fario

ornamentario omittenda esse cognoscam. Eximiam tam-
en atque singularem in Deum pietatem, quæ est
omnium rerum, quæ hoc ambitu orbis vniuersi-
ssimæ continetur, omnium nobilissima ac præstantissima,
quispiam tacitus nullo modo præterire possum. Hæc sola
nobilitas & vnica virtus est veluti murus Aeneus, aut ada-
ntis ornamenta aliqua turris, quæ nullo ariete, nulloque ad-
uersæ fortunæ impetu, frangi ac debilitari potest.
Hæc inquam pietas, secundum D. Ambrosii nectan-
tiori & ambrosia diffluentem sententiam, est amica
inquinantibus, grata DEO. Illum conciliat, neces-
sitasque eas virtutes fouet, DEI cultum promouet. Iustorum
tribunal est certissimum, egenorum portus tutis-
simum, miserorum asylum fortissimum. Hæc au-
dit pudicitiam, tanquam vigilantissima custos; au-
dit taciturnitatem, ceu omnis vaniloquii expu-
gnatrix, tuetur sapientiam, vt pote cum sit recon-
ditissimorum, Diuinorum mysteriorum indaga-
trix; & omnigenæ eruditionis liberalis dispensa-
trix. Istius ergo nobilissimæ, ac supremæ vir-
tutum aliarum Reginæ, in Illustrissimo nostro
Antistite præclara extant monumenta, non pressa
leuiter ad exigui temporis memoriam, sed fixa
firmiter ad posteritatis prouidam imitationem.
Quemadmodum verò aurea Homeri catena mira-
bilis

B

bili

bili quodam nexu, ima summis constrinxit: sic
Tu Illustrissime Antistes, reliquas omnes virtutes
eximia pietate constrinxisti, atq; in hunc supre-
mum euectus es honorem. Declarasti Illustrissi-
me Domine, nunquam desidem ac ignauam esse
posse virtutem, quæ ab indole generosa proma-
nauit: nullas esse ei à præclaris actionibus ferias:
fortes ac constantes viros honestorum laborum ac
munerum perfunctione non ad placidissimam qui-
etem inuitari, sed ad alia ex aliis suscipienda inci-
tari. Prudentia nimirum tanta eorum viget in
animis, vt in rebus agendis errare non possint;
tanta floret iustitia, fides, atq; candor erga ami-
cos, cæteræq; virtutes, vt nulla temporum aspe-
ritate, aut aduersæ fortunæ impetitione, immi-
nui aut labefactari possint. Nihil est opere aut
manu factum, quod aliquando non conficiat &
non consumat vetustas. Metalla durissima, fer-
rum, plumbum, situ & squallore sæpius, quàm
vsu atteruntur. At verò hæc Tua Illustrissime
Antistes Iustitia, ac in colendo D E O pietas, in re-
gendis hominibus prudentia, in administrandis
negotiis, & sine festinatione diligentia, & sine
tarditate grauitas, florescent in dies magis; vt
quantum præclaris illis facinoribus accesserit.

matu
Reliq
ferre
onis
exerc
tus, n
inexe
mom
possi
aut V
gulis
rum
copic
ctare
us Pi
num
do ca
dit:
tistes
dicti
quæ
si sp
tion
gere
dere
muq

maturitatis, tantum ut accedat gloriae, est necesse.
Reliqua omnia, si quis ita se condignis elogiis ef-
ferre posse confidat, ut rerum magnitudini dicti-
onis elegantia respondeat: cum oportet aut ita
exercitatum esse in dicendo, ut facultate sua fre-
tus, nihil sibi difficile atque arduum putet; aut ita
inexercitatum, ut errore ductus rerum pondera &
momenta satis acute perspicere ac diiudicare non
possit. Quare ego hic, Nestorem mihi aliquod,
aut Ulixis Eloquentiae flumen optarem, ut in sin-
gulis Tuis Illustrissime Antistes, praeclarissima-
rum actionum encomiis accuratè percensendis,
copiosè exornandis, artificiosè exaggerandis, me ia-
ctare atque ostentare possem. Etenim ut industri-
us Pictor, qui in exigua tabella ingentem homi-
num depingere cateruam contendit, summa mo-
do capita effingit, totum reliquum corpus abscon-
dit: ita mihi innumerabilia Tua Illustrissime An-
tistes merita, atque praeclare facta, breui angustae
dictionis filo perstringenda sunt, plurima etiam,
quae satis luculenter explicari non possunt, quaeque
si spectanda proponerentur, incredibilem admira-
tionem excitarent sui, innuere duntaxat & attin-
gere, multa etiam significare potius, quam osten-
dere necesse est. Nam quae per DEVM immorta-
lem?

lem? vitæ Tuæ pars non eiusmodi fuit, vt in ea cum semper reperirent boni, quod imitarentur, nihil reperire possent improbi, quod improbare auderent? Maiori profecto & peccatiori animo Illustrissime Domine a duersæ fortunæ sustinuisti tela, quàm cæteri benigniores afflatus ferre poterunt. Nunquam honores per ambitionem secutus es, sed recta Heroïcorum facinorum semita gradientem, & soli virtuti diligentem, sedulamq; operam nauantem, ipsi Te Illustrissime Præsul honores sunt secuti. Nequaquam Tuum animum Supremi Cancellarii suprema amplitudo ac Maiestas immutauit: præterquam vt Tua virtus Illustrissime Domine, à pluribus cognosceretur, Illustriorq; redderetur, effecit: eandem quam intra proprios penates comitatem atq; affabilitatem, eundem cultum, eandem vitæ ac disciplinæ retinisti sanctitatem. O felix & auspiciatum boni Præsulis omen, ô præclarum augurium quo plurimum bonarum partium Ciues sunt recreati. Quid? nonne accessionem bonorum omnium ab eo sperare poterant omnes, qui singularia virtutum suarum specimina, publico vsui, publicè tradidisset? Sed videlicet, illæ tantæ & tam eximix virtutes, maiorem aliquem & planiorem campum

pum, in quo excurrerent, maius theatrum, in
quo spectarentur requirebant, Cracouia Te Cra-
couia Illustrissime Domine, Regni huius florentis-
sime Metropolis, iam tunc ad se inuitabat, & sub
cuius regimine felicem ac beatam inaudiuerat
Præmysliam, eius præsentis virtutem, tantò ar-
dentius & vehementius percipiit degustare. E-
xultat igitur Senatus, gaudet Equester ordo, læ-
tatur Clerus, reliqui Ciues ac incolæ in immenso
versantur gaudio, quod eum nacti sint Præfulem
atq; Protectorem, in quo mira elucet humani-
tas, admiranda ac planè Diuina in rebus admini-
strandis resplendet felicitas, apud quem omnia
plena deuotionis, plena pietatis, plena mansue-
tudinis, plena charitatis: qui deniq; omnes,
comitate ac suauitate animorum, velut fortis-
simis vinculis, sibi coniungit & consociat;

Quare perfruere felix, saluus, incolumis,
tanta sacri huius honoris accessione Illustrissi-
me ac Reuerendissime Domine, lætare diutissi-
mè ex singulari animi Tui Heroici, magnitudi-
ne atq; bonitate. Gaude his publicis gratula-
tionibus, & me supplicem Tuis aduolutum pe-
dibus, Tuo accipe mancipatum seruitio: ac Dyæ-
cesim Cracouiensem, Rempubicamq; vniuersam
omni

omni bonorum genere cumulatus, longissimis
annis repletus, Tuis saluberrimis consiliis, rege
protege, atq; gubernas. Hoc Illustrissimæ Celsi-
tudini vestræ, Alma mater, bonorum ingeniorum
Parens & altrix vouet Academia, hoc deuotæ,
Religiosarum Familiarum precantur cohortes, hoc
submissa D. Parentis mei, corpore quidem ab-
sentis, sed animo præsentis, contestatur propen-
sio: hoc deniq; optimorum Patriæ Ciuium, vo-
ta, desideria, acclamationes contestantur. Viuat
Illustrissimus Antistes, & quidquid est in rem
Ecclesiæ, bonorum solatium, Academix de-
cus, Diuinæ gloriæ incrementum, fæ-
licissimis auspiciis promoueat,
foueat, tueatur.

DIXI.


A. M. D. S. Bq; M. V. cedat.





XI. 6. 38.

38



WYKONANO W SEKCJI OPRAW
BIBLIOTEKI JAGIELLOŃSKIEJ